

Cap. XXX. Dico igitur providentia deorum mundum et omnes mundi partes et initio constitutas esse, et omni tempore administrari: eamque disputationem tres in partes fere dividunt nostri. Quarum prima pars est, quae ducitur ab ea ratione, quae docet esse deos; quo concesso, confitendum est, eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quae docet, omnes res subjectas esse naturae senti-  
enti, ab eaque (omnia) pulcherrime geri; quo constituto, sequitur, ab animantibus principiis omnia esse generata. Tertius est locus, qui ducitur ex admiratione rerum coelestium atque terrestrium.

Primum igitur aut negandum est, esse deos, quod et Democritus simulacra, et Epicurus imagines inducens quodam pacto negat: aut, qui deos esse concedant, iis fatendum est, eos aliquid agere, idque praeclarum; nihil est autem praeclarior mundi administratione; deorum igitur consilio administratur mundus. Quod si aliter est, aliquid profecto necesse est esse melius et majore vi praeditum, quam deos, quale id cumque est, sive inanima natura, sive necessitatis vi magna incitata, haec pulcherrima opera efficiens, quae videmus. Non est igitur natura deorum praepotens, neque excellens, siquidem ea subjecta est ei vel necessitati, vel naturae, qua coelum, terra mariaque regantur. Nihil est autem praestantius Deo. Ab eo igitur necesse est mundum regi. Nulli est igitur naturae obediens, aut subjectus Deus. Omnem ergo regit ipse naturam. Etenim si concedimus, intelligentes esse deos, concedemus etiam providentes, et rerum quidem maximarum. Ergo utrum ignorant, quae res maximae sint, quoque hae modo tractandae et tuendae; an vim non habent, qua tantas res sustineant et gerant? At et ignoratio rerum aliena naturae deorum est; et sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in majestatem deorum. Ex quo efficitur id, quod volumus, deorum providentia mundum administrari.